

NORMAS PARA LA EJECUCIÓN DE LA CARTA APOSTÓLICA M.P. «IUSTI IUDICIS»

I. TEXTO

SECRETARIA STATUS

Ordinatio ad exequendas Litteras Apostolicas *Iusti Iudicis* Motu Proprio datas*

I

DE ADVOCATORUM APUD ROMANAM CURIAM ALBO

Art. 1. § 1. Qui in Album Advocatorum apud Romanam Curiam ascribi velit id scripto petere debet a Cardinali Secretario Status, debitas qualitates aptis documentis comprobando.

§ 2. Cardinalis Secretarius Status, audita Commissione de qua in arts. 2 y 8 M.P. *Iusti Iudicis*, suo prudenti iudicio petitionem acceptet vel reiciat, non obstrictus causas reiectionis pandere nec ullus recursus adversus decisionem datur.

Art. 2. § 1. Ut iudicium pro Candidato a Commissione, de qua in art. 1 § 2, dari possit, praeter alia, de quibus in art. 3 M.P. *Iusti Iudicis*, requiritur, ad praeparationem iuridicam et professionis usum quod spectat:

a) vel titulus Advocati Rotalis una cum absiduo exercitio patrocinii in foro Ecclesiae per septem saltem annos;

b) vel laurea, saltem in iure canonico, una cum eximia peritia, probata praesertim magisterio universitario vel munere iudiciali apud tribunalia ecclesiastica aut civilia.

§ 2. Candidatus linguam Latinam ita calleat oportet, ut defensiones aliaque acta in ea conscribere valeat.

Art. 3. § 1. Ut quis patrocinium vel munus procuratoris exercere possit habeat oportet in Urbe saltem quasi-domicilium, vel, de licentia Cardinalis Secretarii Status, ibi locum ad notifiaciones accipiendas.

* Comm 22 (1990)229-29.